



ΣΤΝ ΘΕΩ
Ex

DE VTERONOMIO
Disputatio XII.
DE RELIQUIS LEGI-
BUS DIVINIS

Ex 23. 24. 25. & 26. capp. Deut.

Ad cuius Themata

In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sito itidem templi arcis

Respondebit

JOANNES JEGERUS Tyri-
geta.

Die 13. Maji in templo arcis Electoralis horis pomerid:



WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
M. DC. VIII.

Reverendis & clarissimis Viris
Dn. PHILIPPO NICOLAI S. S.
Theol. Doctori eximio, Ecclesiae Catharinianae,
quæ est apud Hamburg. Pastori vi-
gilantissimo.

Dn. M. HENRICO RUMPIO,
Ecclesiae Hamburgensis, quæ est ad D. Iohann.
Pastori fidelissimo

Integerrimis item & spectatissimis Viris

Dn. BARTHOLDO BECMANNO } civibus Hamburg. pri-
Dn. JOACHIMO LANGERMANNO } marijs, Ecclesiae Catha-
ribus & corporis Christi juratis fidelissimis, rinianae ibidem curato-

NEC NON

Pietate, Integritate, & humanitate prestantissimis Viris

Dn. JOANNI BREMERO, civi
Hamburg. primario

Dn. PETRO JEGERO civi Ham-
burg. non postremo, Patruo suo dilectissimo.

*Fautoribus & Promotoribus meis singularibus singulariter
perpetuumq; colendis*

Hanc Exercitationem Theologicam debitâ observantiâ
Gratitudinis ergo Consecro,
Dico

JOANNES JEGERUS Tyrigeta
Respondens.



Συὺ Θεῶ.

THESIS PRIMA.



Aput *Deut* : 23: membris comprehenditur *septem*, quorum 1. est de ijs, qui ad munera publica adhiberi non debeant. 2. de studio mundicie in castris. 3. de defendendis servis fugitivis bonis adversus injustos seu iniquos dominos. 4. de meretricibus non tollerandis. 5. de usuris. 6. de Votis. 7. de aliorum vineis & hortis non spoliandis.

II. Et quia de PRIMO superius disputat: 9. fuit expositum; nunc de restantibus sex postremis partibus agendum venit.

III. SECUNDVM igitur hujus cap: membrum continet tres leges militibus Israëliticis diligenter observandas. 1. ut omnes & singuli ab omnibus improbitatibus eorum, qui castra sequuntur, diligentissimè sibi caveant. 2. ut seminis effluxum involuntarium noctu perpessi ex castris exeant, nec, nisi post Solis occasum, & post peractam purgationem, in illa redeant. 3. ut in egerendis & occultandis naturæ excrementis modestiam & verecundiam adhibeant.

IV. Ratio prima legis est, quod bellicæ expeditiones nihil aliud sint, vel esse debeant, quàm improbitatis aliorum reformationes vel punitiones. *Lev: 26, 24, 25. Ezech: 14, 21.* Quid igitur turpius & magis injustum esse queat, quàm alios propter scelera gladio compescere velle, interim verò sese iisdem, vel etiam majoribus, contaminare quàm licentiosissimè & spurcissimè, ubi jure audire possis illud: Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

A 2

Milita-

Argumentum
& membra
Deut. 23. cap.

I. MEMBR.
cap. 23.

II. MEMBR.
cap. 23.

Bella debent esse
reformationes
malorum homi-
num per milite
bonos,

S.
a,
n.
ri-
ha-
to-
vi
n-
ter
a
ta



V. Militatum igitur abituros cogitare decet, se divinæ iusticiæ executores esse, ut primò omnium solenniter & serio pœnitentiam ipsi agant, furti, rapinas, commestationes, ebriitates, fornicationes, blasphemias, litigandi nocendique studium execrentur, & in illa pœnitentia constanter perseverent juxta exemplum Iudeorum 1. Machab. 3. 43. & seqq. in primis 46. 47. & c.

VI. Accedit, quòd ideò etiam in bellis sanctius vitam componere milites deceat, quàm cives domi, quòd ibi plus, quàm hic, periclitetur vita ipsorum, publica que & privata salus plurimorum: Et quòd felicitas & victoria non sit nisi unius solius DEI gratuitum beneficium Prov: 21. 31. pro quo non proderit domi preces recitare, si foris malefactis maledictionem DEI ipsi milites in sese & suos provocent.

Nulla sunt privilegia militum adversus Decalogi præcepta.

VII. Abeant jam, & jactitent privilegia & indulta bellica contra primam & secundam tabulam Decalogi impij illi, quæ nulla alia sunt, nisi quæ Diabolus in ipsis somniavit.

VIII. Ratio secundæ Legis est, quod noctu seminis effluxum involuntarium perpessi recedentur in immundorum classibus, ideoque contactu suo homines & vasa coinquinant. Neque sermonem instituit hoc in loco DEVS de γονορροία omni, præsertim gravissimâ, de quâ agitur Lev: 15. apud Aristotelem in lib: πρὸς γενέσεως c. 17. & seqq: Capi vaccium etiam in Practica medicina lib: 3. c. 33. sed tantum de leviori.

Apud Iosephum lib. 17. c. 2. summus Pontifex substituit alium, qui pro ipso ingrediatur in sanctissimū: propter hanc ipsam causam.

IX. Cur autem γονορροία nocturna involuntaria immundiciebus in Mosaica Lege annumeretur, facile ex eo æstimare licebit, quod, attestantibus interpretibus, ij potissimum ea laborare judicentur, qui sibi voluntariam ex libidine indomitâ procurant.

X. Neque audebat nocturnam & clam factam immundiciem illam accidentalem reticere quisquam, sed metuere cogebatur maledictionem divinam, de quâ infra dicemus, quia & vitam & opes, & valetudinem & omnia mundi bona sua certo cer-

to cer-

to certius in extremum adduxisset periculum. Quin potius gloriam dabat DEO, & clam destinum accidens confitebatur in honorem justi DEI *Pf. 51, 6.* seque pœnæ ordinariæ patienter submittebat, & à DEO veniam petebat, deinceps quoque castiorem mentem tuebatur.

XI. Utinam Christianorum tam tenera esset conscientia, sæpè minùs esset calamitatum publicarum, juxta illud *1. Cor. 11, 31: si nos ipsos dyjudicaremus, non puniremur,* cum è contrario tanta sit conscientia durities in plerisque, ut ad extremum usque spiritum maxima scelera, etiam præter & adversus admonitum & pœnarum divinarum denunciations, plusquam strenuè negent.

XII. Ideò autem è castris recedere debebat talis semini-fluus, ut significaretur *1.* multò magis voluntarias libidines DEO abominabiles esse, adeoque non tantùm alijs in locis & temporibus semper, sed vel in bello studiosissimè declinandas. *2.* non tantùm ex externis & manifestis, sed etiam ex internis, occultis & clandestinis peccatis iram DEI, varias pœnas (& rejectionem à DEO) provenire, licet interdum sanctis contingant, licet coram hominibus nullius videantur esse ponderis.

XIII. *3.* Etiam de levibus ita visis peccatis dolendum, à CHRISTO veniam petendam & ad sanctioris vitæ cursum redeundum *1. Pet. 1, 15.* sicuti involuntarius semini-fluus ad vesperam usque immundus erat & postea lavabatur, & ita redibat ad castra.

XIV. *4.* Gravissimè peccare, qui obscenis cantilenis & picturis oculos impudentius pascunt & libidinem accendunt. Quas cantilenas & picturas vel hoc nomine non tollerandas esse, quis est qui non videat?

XV. *5.* Gravissimè peccare qui in promiscuis balneis, escis, vestibus & nudatione corporum sese non satis castos & pudicos præbent. Dignum est *Alphonsi Regis Arragonum exem-*

*Si fecisti nega:
Diaboli inven-
tum, & calami-
tatum infinita-
rum causa.*

*Si in bello tan-
tam castitatem
requirit Domi-
nus, quid domi-
faciendum mul-
to magis erit?*

plum, cuius adulti interiora membra nemo unquam vidit.
lib. 3.

XVI. *Balnea certè virorum & fœminarum promiscua sunt prohibita, distinct: § 1. Non oportet. Et Plutarchus in vita Romuli hanc ejus Legem refert: qui se nudum à fœmina videre passus fuerit, criminis capitalis reus habeatur. Idem in Catone recenset, quod nec liberis & generis cum parentibus & soceris lavare permissum fuerit.*

Queliber lex divina ex una specie, quam proponit, vult subintelligi similes alias.

XVII. *Ratio tertiæ Legis est, nè fœditate nobis ipsis injuriis, & alijs simus onerosi, nauseamque provocemus, quin & ipsis quibusdam brutis, ut felibus, impuriore esse videamur: non tantum hæc specie, sed etiam alijs ex illa subintelligendis, puta scabricie dentium, squalore olido unguium in manibus & pedibus, redditione & profusione urinæ citra cautionem & verecundiam, & in similibus.*

XVIII. *Quatuor igitur jubet DEVS. 1. ut præter arma necessaria & consveta singuli milites secum sumant in bellum, perpetuoque secum habeant paxillos h. e. instrumenta idonea, quibus serobes fodere possint, 2. ut exoneraturi feces alvi ad hoc locum sibi secretum extra castra deligant. 3. ut exoneraturi alvum desideant, vestibisque suis tegant pedes suos, nè nudæ partes aliqua veniant in hominum forsitan intervenientium conspectum. 4. ut excrementa egesta pulvere & terra contegant.*

XIX. *Sic 1. Sam: 24, 4. Saul in molitionibus adversus Davidem in deserto Engedi propter opus naturæ urgetur, moxque in speluncam ingreditur ad perluendos vel perfundendos pedes: h. e. ad egerendum, vel solvendum tam vesicam quam alvum. Verbum enim Hebraicum involutionem & obtectiorem significat. Vide etiam Lutherum in marginalibus ad locum jam allegatum.*

XX. *Exempla Ethnicorum, hac in parte valdè verecundorum, studiose reticemus, quæ profectò Christianis multis infami-*

infamiam parere possent. Et qui in his levioribus ita iudicatis non honestatem, non Legem naturæ & hanc divinam attendit, is etiam in majoribus turpitudinibus committendis non erit difficilis futurus.

XXI. Et probè sæpiusque perpendendum est, quod *vers.* 14. obtemperantibus & disciplinæ necessariæ studentibus victoriam promittit, è contra repugnantibus infelicitatem & desertionem à DEO minatur. Quod postremum Epicuri impuro de grege porci, cantionum & picturarum impudicarum architecti, & sermonibus gestibusque impudentibus scandala juventuti teneræ præbere soliti imâ mente repositum tenebunt, nè sibi impunitatem fingant apud DEVM, in quibus, tanquam nullius momenti reputatis, homines corridentes experiuntur.

XXII. In TERTIO MEMBRO præcipitur de recipiendis & fovendis servulis Ethnicis, quando propter dominorum Ethnicorum savitiam immanem ad oppida Israelitica confugiunt, & à furiosis persecutoribus ad necem, cuius potestatem sibi usurpabant iniqui domini, pervestigantur.

XXIII. *Ratio Legis est*, quod caritas erga proximum eò sit illustrior, quo in plura diffunditur subjecta, ut hoc loco, quæ primò servum juste legitimeque non condemnatum liberat à morte; deinde rabioso Domino eripit occasionem homicidij, perinde faciens, ut qui furioso gladium depositum non reddit, denique si fieri possit, servum Domino reconciliat: memor humanæ sortis, quod accidere possit cuique, adeoque sibi & suis quoque, quod accidit cuivis.

XXIV. Significatur in genere omnes exules sive propter religionem, sive propter alias justas causas ejectos benignè excipi, juvari & defendi debere. Vide *Epist. Pauli ad Philemonem* pro fugitivo servo scriptam.

XXV. *Quæritur autem*, num servulorum detentio illa non debuerit reponi in censu furtorum manifestorum, si quidem

III. MEMBR.
Deut. 21.

Questio.

vidit.

sunt
a Ro-
videre
atone
oceris

jurij,
& ip-
mur:
ligen-
n ma-
autio-

arma
n bel-
menta
feces
. 3. ut
pedes
an in-
polve-

is Da-
, mox-
nden-
eficam
em &
ginali-

recun-
multis
nfami-

Multe leges di-
vinae hunc ha-
bent scopum, ut
alieni alliciantur
ad religionem
veram agnoscen-
dam.

IV. MEMBR.
Deut. 23.

Deus. 22, 1.
Strab. lib. 10. de
Cretens. Suidas
in Spadone.

quidem tunc temporis servi inter reliqua bona dominorum suorum reputabantur. Et respondetur cum hac Lege divina etiam conspirasse saniorum Ethnicorum decreta, quemadmodum jura civilia immodicam severitatem expressè culpant, & servis Dominis servos adimere jubent. *Instit: lib. 1. tit. 8.*

XXVI. Iure divino & coram DEO vita corpora servi & Domini habetur in pari precio, in primisque propter hanc causam, ut ex alijs locis plures in terram Israeliticam confugerent, & hoc pacto, post occasionem discendi doctrinam de vero DEO benè arreptam & benè collocatam, veræ Ecclesiæ civitatem sensim consequerentur.

XXVII. In QUARTO MEMBRO prohibetur, ne sit meretrix *השקט* de filiabus Israel, nec *שקט* scortum, seu ut à Munstero in Lexico indigitatur, paratus ad prostitutionem, de filijs Israel. Solebant enim inter Ethnicos prostibula publica masculina & foemina reperiri, ubi foemina viris, & viri viris publicè corpora ad libidinem explendam largiebantur.

XXVIII. Apud Babylonios pro precio conjuges & filias ab hospitibus contaminari detestanda & damnata licentia permittebatur, teste Herodoto & Curtio, lib. 5. & Solon egregius scilicet formator ingeniorum, coemptas meretriculas Atheniensibus concessit, ut juventutem ab adulterijs cohiberet teste Alex: lib. 4. c. 1. Et obtinuit illa consuetudo in toto terrarum orbe, proh dolor, unde in hunc usque diem multis in locis inter medios, sicut audire volunt, Christianos lupanaria supersunt, quæ nullis, nullis coloribus pingi aut excusari debent.

XXIX. Ut autem Diabolici furoris vestigia apertiora constarent, notum est, quæ apud Sodomitas contra naturam turpia abierint in mores Gen: 19, 5. quæ scelera absque ulla verecundia postulaverint Benjamitæ, Gabaenses de familia Lemini, Judic: 19, 22. quæ sub Roboamo filio Salomonis turpissima



pisissima cinædica prostibula in terra sancta magno numero fuerint reperta, *1. Reg: 14, 22.* ut etiam sub imperio Asa *1. Reg: 22, 47.* quæ sub Amon *2. Reg: 23. 7.* scorta mascula in domo Domini fuerint, quæ de Sacerdotibus Eunuchis explicat Lyra, denique quos Eunuchos amaverit Herodes apud *Iosephum lib: 10. c. 11.* antiq: legere licet.

XXX. In tantum autem Græci & Romani erga hoc vitium Veneris laborarunt, ut clarissimi Philosophi Græciæ haberent publicè concubinas & inter scorta starent expositi iij pueri, donec sub Constantino Imperatore unà cum infidelitate gentium etiam illa turpitudine eliminaretur, ut scribit *Hieron: lib. 1. c. 2. Es. vers. 6.*

XXXI. De Tiberij, Caligulæ, Neronis, Heliogabali varia & nefanda Venere apud *Svetonium*, de Sporo nubente Neroni apud eundem *c. 29.* de Nerone nubente Doryphoro apud *Philip: Cam: 2. succis: 41. 42.* de Ovidiana Sappho in Epistola, quam Sappho Phaoni scripsit, legere licet, & in argumento super illam Epistolam, quod extat in ista editione Ovidij, quæ adornata fuit ex postrema Iacobi Micylli recognitione, item apud *Zuvingerum in Theatro, vol: 9. lib. 3. An. dream Laurent: profess: reg: Acad. Monspeliensis in Phyl:*

XXXII. *Rom: 1, 26, 1. Cor: 6, 10.* easdem infernalibus flammis vindicandas impuritates in Novo adhuc Testamento residuas taxare necesse habuit Apostolus, *quas nunc temporis Pontificibus Romanis eorumque delubris relinquamus, modò in nostris Ecclesiis & Scholis sæpius taxentur, qui lupanaria tolerant, qui ipsi ea frequentant, qui eadem frequentantes ex officio quod gerunt non puniunt, qui scortationem, ut vocant, simplicem peccatum non esse existimant, modò crebrius gravissimas ultiones divinas super libidinosos severè detonemus & inculcemus singuli & universi, privatim & publicè.*

B

PORRO

Appendix IV.
Membr. Deut.
25.

Sic Flora Floralia, festa meretricia, fundavit. Volat. lib. 10.

De rapina holocaustum.

Cur precium canis non offerendum.

XXXIII. PORRO cum hâc Lege conjungitur ILLA, ne Israelitæ particulam pecuniæ ex scortatione qualicunque, velex venditione canis, animalculi vilis & obscœni collectæ, ad pias causas offerre patiantur.

XXXIV. Conveverant enim homines impudentes, in peccatis obscœnis sine fine sese volutare, corporeq; impudico questum nefarium facere, gestientes, quasi DEVM placaturi, turpissimorum lucrorum turpissimam partem DEO consecrare.

XXXV. Illud quid aliud fuit, quàm velle peccata peccatis expiare, perinde sicuti Pharisei *Matt: 23, 24.* devorabant domos viduarum, unde postea pauperibus erogabant elemosynas, de quibus usurpari poterat illud DOMINI, *Es. 61, 8: Ego Dominus diligens judicium & ODIO habens RAPINAM IN HOLOCAUSTO.*

XXXVI. Certè *Luc: 11, 42.* tum placent DEO ceremoniæ, & elemosynæ, si *judicium & charitas DEI* ad fuerit, h. e. si exercens illa opera habuerit veram fidem, quæ sine vera vitæ emendatione nunquam reperietur. Si verò holocausta scortatorum & meretricum sunt Deo abominabilia, multò magis ipsæ scortationes eidem summo perè displicent, ita ut *verus scopus hujus legis sit*, demonstrare, quàm magno studio sint vitandæ & scortationes & scortationum occasiones. Quid igitur DEO respondebit *Pontifex Romanus*, de quo constat, quam grandes quæstus annuos ex prostitulis facere soleat.

XXXVII. IDEO autem PRECIUM CANIS inter oblationes damnatas recensetur, quia qui taliū rerum vilium, canum, felium, &c: nedum turpium, ut scortationum, prædarum, rapinarum, furtorum, dolorum, mendaciorum, precia DEO extrinsecus offert, is palàm testatum facit, se de DEO nondum concepisse opinionem honorificam, sed ipsum vilem habere, nec tanquam vindicem iniquitatum omnium satis revereri.

In

XXXIIX. In QVINTO MEMBRO *וְשִׁבְעָה* seu usuræ accipi prohibentur à fratribus Israelitis, sed à separatis seu discretis h. e. ab extraneis exigi permittuntur sub politia divina.

XXXIX. Vbi primò omnium quæritur, quinam nomine fratris & extranei hoc in loco intelligatur? & rectè respondetur, fratrem per hiberi, qui consentit in religione cum Ecclesia vera Israelitica, sive quoad primam originem sit Israelita, sive gentilis quicumque: alienigenam verò seu extraneum seu separatam seu discretum dici, qui cum vera Ecclesia Israelitica in religione non consentit, sive sit Israelitico sive Ethnico sanguine procreatus, & uterque quidem sive propinquus sive longinquus habitaverit.

XL. Deinde observandum est, de quo genere mutuationis hoc loco agatur, nimirum, de mutuo datis pecunijs, esculentis & quibuscunque rebus alijs SIMILIBVS, utiq; non de elocata domo, vel elocato servo, vel agro, vel SIMILIBVS.

XLI. Deniq; attendenda est Hebraismi genuina sententia in hac Lege, quæ scilicet hoc vult, nè morsum inferas fratri tuo, morsu pecuniæ, morsu cibi, aut morsu vel senore cujusque rei alterius, qua morderi queat; alterum enim morder poteris, fratrem autem tuum non mordebis, ut prosperet te DOMINVS in terra, ad quam proficisceris, ut eam possideas. Quando enim pro usu domus vel alterius rei locata precium petitur, item quando pro damno dato in mutuis alijs restitutioni postulat, ibi utiq; non mordetur frater, sed æquitas quæritur.

XLII. Sed cum hac ipsa de VSVRIS materia, in primis apud Theologos, vel propter hunc ipsum textum Deuteronomij, admodum sit controversa, ex diligenti aliarum scripturarum collatione, & ex diverso diversorum ordinum inter homines discrimine totum negotium brevibus considerandum, & ex verbo DEI decidendum nobis erit.

XLIII. Primùm igitur reperiuntur homines omninò pauperrimi inter extraneos & fratres, qui omnes etiam pane

B 2

necessa-

V. MEMBR.
Deut. 15.

Usuras non accipiebant Iudei à fratre.

Usuras accipiebant Iudei ab extraneo.

Pro quibusveta mutuis Iudei acceperint & non acceperint usuras.

Usura prohibita in sacris dicitur in hebræo morsus.

Quæ sit prohibita usura proprie.

I. Pauperrimi elemosynis ad vivandis sunt.

necessario & quotidiano omni destituuntur, qui que subsidio aliquo esculento adjuti, quod retribuere possint unquam, nihil habent quicquam.

XLIV. Hosee primæ classis homines ex misericordia, gratuito elemosynis & donationibus, sine omni spe recompensationis, ab ijs, qui succurrere valent, adjuvandos esse, obtinent hæc Scripturæ testimonia *Es. 58, 7. Frange esurienti panem tuum: egenos & vagos introduc in domum tuam, si videris nudum, operi eum, & carnem tuam nè despexeris. Ps. 41, 1. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum DOMINVS.* Huc illud *Ps. 37, 21. Iustus donat & dat.*

II. Tenuissima fortune hominibus mutuo dandum erat gratuito, si erant fratres: non gratuito, si extranei.

XLV. SECUNDO reperuntur tales homines inter fratres & extraneos, quibus ex labore quotidiano continuato nihil quotidiani panis deest, nihil tamen superest, sed qui interdum, propter moras dividendi, quæ pararunt instrumenta, aut propter similes causas, mutuum aliquid pecuniæ, frugum, esculentorum &c: ab alijs petere coguntur.

XLVI. Hisce secundæ classis hominibus distinctè est succurrendum, nimirum ut mutuo detur fratribus aliquid, quod ipsum restituere debent, attamen sine omni precio, propter officium mutuacionis, exacto, extraneis verò, ut ultra sortem aliquid, propter officium mutuacionis, reddere cogantur. De fratribus sine usuræ petitione iuvandis loquitur textus *Deut. 15, 7. & seqq: Si fuerit apud te mendicus, aperiendo aperies ei manum tuam, & mutuando mutuabis ei ad sufficientiam usque, id quo indiguerit. Huc illud Exod. 22, 14, 25. Levit. 25, 35.*

XLVII. De extraneo verò quovis, tenui & pingui per mutuum adjuvando, cū conditione solvendi aliquid ultra sortem, loquitur textus clarissimus *Deut. 23: Extraneo fœne rabis; item contrarius sensus illius in Exod. 22, 25: Levit. 25, 35.*

Cur ab extraneo usuram acceperint Israeliæ.

XLVIII. Ratio hujus severitatis erga non-fratrem est hæc, ut cognita liberalitate tua erga fratres tuos, paulatim & ipse

ipse frater tuus fieri, adeoque verum **DEVM** rectè agnoscere & colere discat, quo facto tu ipsi sine ulura mutuo dare teneris.

XLIX. Sicut autem quandoque in hac secunda classe mutuo accipiens degenerat in impium & injustum, de quo dicitur *Pf. 37, 21. mutuum accipit impius & non reddit*, ita vice versa varias quandoque circumstantias & statum miseriorem vicini pauperis contemplanus ille, qui mutuo dedit, istud Christi complere sataget *Luc: 6, 34, 35. si mutuo datis, à quibus speratis recipere, quæ gratia erit vobis? Diligite inimicos, mutuum date, nihil inde sperantes.*

*Mutuum dantes,
nihil inde sperantes.*

L. **TERTIO**, reperiuntur sive fratres sive extranei, qui non sunt egeni, sed satis instructi rebus necessariis, & tamen ut semper plura lucrari & acquirere queant, juxta illud Syri, **SEMPER** imaginare tibi aliquid deesse, iccirco à divitibus & alijs promiscuè pecuniã & alia ad ædificationem, agriculturam, navigationem, mercaturam & ad similes negociationes mutuo petunt.

A fratre & extraneo quo, & quando usuras postulare poterint Israelitæ.

LI. Ab his utrisque precium pro mutuationis officio moderatum, adeoque aliquid ultra sortem peti debere & accipi, posse, hæc sequentia confirmabunt argumenta 1. *quia in locis allegatis Levit: 25, 35. jubentur Israelitæ mutuum dare (non donare) fratri attenuato seu vergenti in re Oeconomica ad interitum.* At hic, de quo sermo nobis est in hac tertia classe, crescit & in re œconomica satis, sæpe plus satis est opimus, Ergo huic potest mutuum dari cum conditione seu pacto de persolvendo precio propter officium mutuationis.

LII. *Præterea 2. si ex fundo & domo elocata licebat pensiones accipere, cur non itidem ex pecunia, ex qua interim vicinus tuus ditescit & crescit. Ratio hujus argumenti seu verborum ipsius est in illo Exod: 22, 24, 25: nimirum si licet ex animali accommodato accipere pensiones (sicut ex domo & servo:) cur non itidem ex pecunia mutuo data, diviti pensiones postulare, concessum fuisset.*

Deniq;

LIII. Denique nihil esset iniquius, quàm alijs pecuniam mutuo dare, ut ipsis non tantùm esset ignavia, sed etiam abundantia, alijs interea afflictio: 2. Cor. 8. nihil certè injustius, quàm alterius numis locupletatum amico mutuo danti nihil compensare velle.

*A quo fratre
non debeat usu-
ram accipere Is-
raëlita.*

LIV. Qua propter hic textus *Deut: vers: 9. 20.* loquitur de secunda classe hominum, quemadmodum magna ex parte hanc controversiam distinguendo explicant, præter veteres quosdam, etiam *Chytraeus & Erasmus Marbachius*. Ac idè in fine subjicitur amplissimæ divinæ retributionis securæ promissio, quòd Dominus pro facilitate gratuita mutuatio- nis præstitæ fratri pauperi benedicere velit (in cunctis, ad quæ manus extenduntur, super terram) **IPSE**.

LV. Cui affine est illud *Pf. 37, 26. qui omni die donat & mu-
tuum dat, illius semen erit in benedictione. & 112. 5. Bonus qui
miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, in æ-
ternum non commovebitur.*

*Hodiè cessat ra-
tio legis qua Iu-
dæo ab extra-
neis usuram ac-
cipere licebat o-
lim mediocribus.*

LVI. In **FINE** hujus Legis de usuris explicatæ obiter facienda est mentio illius, quod *Lutherus & alij* rectè anno- tant, Iudæis olim permissum quidem fuisse, *mordere gentes morsu pecunie & morsu esculenti*, nimirum, ut his moribus an- sam ipsis præberent, ad veram religionem sese applicandi, si- cut **DEVM** morisionibus variarum calamitatum nobis quo- que pœnitentiam in mentem vocare, piè credimus.

LVII. Cum verò hodiè Iudæi deserint esse populus **DEI** ideo ipsis hodiè in extraneos non amplius liberæ usuras per- mittendas rectè sequitur.

VI. MEMBR
Deut. 23.

LIIX. In **SEXTO MEMBRO** agitur de votis vel prorsus omittendis, vel ritè complendis. Vbi vota nominan- tur promissiones solennes, factæ **DEO**, secundum decreta- tum ipsius, vel pro gratiarum actione, quando felicitati- bus aliquibus cumulat, vel pro petitione, ut in periculis con- stitutos liberet.

Primum

LIX. Primum DEO. non sanctis demortuis: ex fide, non temere: solenniter, non ignava & torpente opinione: religiosè, non vanè debebāt fieri vota. 2. ita, ut congrueret id, quod promittebant, cum *Lege DEI*, non ut pugnaret cum ea 3. itē, ut esset *in viribus nostræ naturæ* positum, non verò supranaturæ nostræ vires. 4. denique ut haberet *fines DEO gratos & hominibus utiles*, non DEO exosos & hominibus inutiles & molestissimos: quæ conditiones votorum hodie quoque voventibus constare debebant.

LX. *Impiè* vovet, qui vovet se interfectorum tyrannicos magistratus, quàm primum dives factus fuerit: *ineptè* vovent *Act: 23*, qui vovent & conjurant, se nec cibum nec potum accepturos, priusquam Paulum interfecerint, cum vita Pauli in DEI gubernatione, non in ipsorum manibus esset: *impiè* hodiè coelibatam promiscuè vovent Monachi, cum non omnes verbum illud capere queant, *Matth: 19, 1.* & alius aliud donum habeat *1. Cor: 7, 7.*

LXI. Quæ etiam est utilitas, quòd quidam apud *Marulum* ex voto nunquam ullo die cubitum & dormitum se contulit nisi prius post cœnam perlesto toto Psalterio? quæ utilitas, vovere perpetuam abstinentiam à carnibus, ab ovis, &c. quasi justificari queamus ex illis ceremonijs votorum observatis.

LXII. Non penitus improbari posset mos illorum, qui per ebrietatem in plurima incidunt peccata, si votum citra superstitionem facerent, se post quamlibet crapulam velle totum diem jejunare usque ad vesperam, interimque cantuarum vini & delicatos cibos in prandio alioquin sumendos distribuere pauperibus. SED adversus pontificios

LXIII. Duobus axiomatibus totum hoc negotium de hodiernis votis absolvitur. 1. est. *Lutheri ipsius* super hunc locum, *si quis tale aliquid vovet, quòd vergit, ad gloriam DEI, vel ad commodum proximi, & quidem liberè, is piè fecit, & votum*

Conditiones bonorum votorum.

Impia vota.

Inepta vota.

Due regule de votis hodiernis.

Et votum reddere debet. Quo pertinent ista Ps. 26, 12. & Ps. 56. 13. & 61, 6, 9. & 65, 1. & in primis Ps. 66, 13, 14: Reddam tibi vota mea, quæ voverunt labia mea. & locutum est os meum, dum esset angustia mihi. Inter quæ vota esse precibus locum primum dandum, apparebit ex Ps. 69, 31, 32.

LXIV. *Christiani tamen ante omnia tenentur DOMINO præstare ea vota, quæ promissa in baptismo emiserunt, quod velint credere in S.S. Trinitatem, quod velint veterem Adamum mortificare, ut novus quotidie surgat in sanctitate & iusticia.*

LXV. *2. Qui servat quod promisit, quando est contra Legem, is peccatum peccato addit. Rectè igitur fecerunt. licet contra tunc temporis vulgatam opinionem, contra jus quoddam Pontificum & aliquot seculorum consensum fecerint, qui, Evangelio per D. Lutherum repurgato, speluncas Monasticas deseruerunt, vitamque cœlibem cum honestis nuptijs commutarunt.*

A minori ad majus.

LXVI. *Si enim Num: 30. quædam vota rescindit vox ipsa divina, verbi causa, Si mater familias quippiam citra consensum mariti, promississet, cur non multò magis inania existimabuntur, quæ contra expressam DEI nostri voluntatem sunt edita.*

VII. MEM.
BR. 127. 21.

LXVII. *In SEPTIMO & VLTIMO MEMBRO docetur, quod licitum fuerit in vinea proximi comedere uvas, & in agro ejusdem frangere spicas manu, non verò ex vinea uvas exportare, aut in segetem proximi immittere falcem.*

LXVIII. *Hic iterum sub vinea & segete tanquam duabus speciebus omnes alias similes subintelligendas esse meminerimus ex consuetudine divini Hebraei, ut in genere constet, fratrum in religione eam esse debere rationem, qua alter ab altero non gravatim plurima toleret, levia tamen, ei que sua haud gravatim bona utenda concedat.*

In

LXIX. *In specie autem significatur*, semper patere debere aliquam nostram liberalitatem in proximum nostrum, qui caret agris, vineis & hortis, ut is habeat unam nobiscum occasionem pro tam egregijs donis & creaturis laudandi DEVM.

LXX. Deinde verò 1. nè fierent incertæ possessiones, sed perpetuum extaret discrimen inter possessorem & alios. 2. nè alijs esset ignavia, nobis afflictio. 2. Cor: 8. sed ut frueretur, magna parte laborum, qui labores ipse sustinuit, iccirco indultum hactenus concessum certis conditionibus restrictum & limitatum esse cupit.

LXXI. Nimirum abesse debet omnis malitia, & ipse defraudandi animus, quem habent illi, qui noctu interdumque clam & surrepticiè ingrediuntur & devastant hortos & in hortis puros, pomos, cerasos, item, agros confitos rapis, pisces, quercubus & similibus, ex quibus convehunt, unde ad tam longum tempus seque suosque pecoraque sua sustentare queant.

LXXII. Quem animum confidentiorem habent, quotquot sibi persuaderi patiuntur illud, quod fermè in omnibus pagis Germaniæ & alibi disseminavit certè ipse Sathanas, ex graminibus furto subtractis saginari quàm optime pecora, & panem furto subtractum corporibus vegetandis esse appositissimum.

LXXIII. His è contrariò sæpè inculcetur illud *Prov: 20, 12: Suavis est viro panis mendax, & postea implebitur os ejus arena.* Quam benè igitur arenæ & silices, tam egregiè quoque furtivi panes pinguefacient. Id quod ad animalia & ligna & lintea & alia infinita, esculenta & potulenta furtim subducta, applicetur, addito exemplo *Gehasi*, famuli *Elisæi*, qui lepram contrahebat, propter malè quæsitas vestes, 2. Reg: 5, 21. & seqq.

LXXIV. Si quis verò ex morbo vel peregrinatione languidus, aut singulari naturæ appetitu affectus, vineam aut

Impientissima mundi opinio.

Furtivæ res quam egregiè profint, & commodent.

Quando liceat ex vicini hortis edere fructus.

C

sege-

56.
vota
esset
num

MI.
unt,
rem
itate

ontra
t. li-
a jus
n fe-
ncas
nestis

x ipsa
n sen-
xistis
atem

BRO
uvab,
uvab

rabus
nine-
e con-
alter
ei que

In



hortum aut segetem vicini præterit, huic desiderium natura
& languoris affectum satiare conceditur, ita tamen ut di-
ctum est, ne alterius benevolentia abutatur, vicinum gravet &
aliena cum proximi detrimento & incommodo sibi usurpet
ac vendicat.



Argumentum
cap. 24. Deut.

I. MEM.
BRVM Deut.
24. De repudiis.

POLYGAMI.
Lamech.

Qualis polyga-
mus Abraham.

Loth plurimum
incestuosus.

Esau.

LXXV. CAPVT *Deut. 24.* partibus comprehenditur octo,
quarum 1. agit De libello repudij. 2. De immunitate sponsi an-
no primo connubij 3. de pignore. 4. De plagio. 5. De Lepra. 6.
De Mercenarijs remunerandis, 7. De infontibus non temere
vexandis. 8. De liberalitate erga pauperes tempore messis.

LXXVI. Ad primam partem capitis 24. quod attinet, sex-
tum Decalogi præceptum in populo D.E.I. duo non exigua
maximoperè strinxisse videmus, nimirum polygamiam &
repudium.

LXXVII. Adversus ordinem conjugij primitivè institu-
tum *Gen. 4, 24, Matth. 19, 4, 1. Cor. 7, 2, 1. Tim. 3, 2. primus Lamech*
extra cœtum vera Ecclesia in maledicta posteritate Caini, duas
simul accepit uxores. *Gen. 4. 19. 2.*

LXXVIII. Illam æmulatus est rationem Abraham *Gen. 16,*
2, 3. post acceptam divinitus promissionem de posteritate sua,
humani omninò aliquid passus, ex suavis octuagenaria Sara, di-
vine benedictionis occasionem non neglectura, ubi quidem ma-
ritus credebatur, se filios habiturum, sed quâ viâ, nondum satis
audierat, ut patet ex collat. *Gen. 15, 4.* cum *Gen. 17, 16. & c.*
Idem ex ebrietate & præpostera sollicitudine cum vitio incestus
fecit Loth. *Gen. 19, 31. & seqq.* Vide Origenem super eum
locum.

LXXIX. Idem fecit ex malitia impius Esau. *Gen. 26, 34. &*
28.

28,9. & 36,2. & c. ductis Ethnicis mulierculis: eandem consue-
tudinem retinuit impia & idololatræ Ecclesia Gen: 29, 26.
quam *Iacobus* partim à Labano idololatra *deceptus*, partim a-
more nimio *motus*, partim *uxorum*, quæ patrem habebant ido-
lolatram, *zelotypis agitatus*, itidem subivit. Gen: 29, 25, 70. &
30, 3, 4, 5, 9, 10.

LXXX. Eandem adversus restauratam prohibitionem
Deut: 17, 17. redintegavit *idololatræ Gideon* Iudic: 8, 27, 30,
31. *nimio sobolis multiplicandæ*, & generis propagandi *laborans*
affectu Elcana maritus Peninnæ & Hannæ 1. Sam: 1, 2, 4, 5. *libi-*
dinosus David 1. Sam: 25, 40. & seqq: 2. Sam: 11. *libidinosus Sa-*
lomon 1. Reg: 11, 4. *stultus & hypocriticus Rehoboam* 1. Reg: 4,
21. 2. Par: 11, 18. usque ad finem: *impius Abia*, 1. Reg: 15, 3. 2.
Par: 13, 21. *loas* de consilio pij Pontificis *Iojadæ*, qui tamen fa-
miliam Regis, unde ipse uxorem duxerat, *diutissimè floren-*
tem & superstitem exoptavit. 2. Reg: 12, 2, 3. 2. Par: 24, 3.

LXXXI. Atque ex horum exemplorum annotatis occa-
sionibus hinc inde per Scripturas S. rectissimè concludimus,
sine dubio similibus de causis apud alios quoque tum extra
tum intra populum DEI polygamiam obtinuisse.

LXXXII. Hanc autem nusquam præcepit DEUS, nus-
quam approbavit, sed in populo suo, multiplicationis nimi-
um cupido, toleravit, toleratam limitibus quibusdam sepivit
Deut: 21, 15. *jurgiorum inter tantam multitudinem & varietate*
liberorum, zelotypasq; uxores diversas, ut & aliorum incom-
modorum refertam, opum dilapidatricem celerrimam, quæ vel
sola frenum ei injicere potuit, raramque fieri permisit.

LXXXIII. Quin apud *Malach: c. 2, 13. & seqq:* ostendit
Dominus, gravius peccate sacerdotes, si polygami sint,
vel pro polygamis alijs offerant sacrificia, quam pec-
cent quicunque repudiant suas uxores. Nam

Gideon.

Elcana.

David.

Salomon.

Rehoboam.

Abia.

Ioas.

Qua occasione
polygami facti
fuerint sancti.

Polygamia in se
qualis.

Polygamia di-
vinitus taxata
in V.T.

exacerbata à superinducta primæ conjuges ante altare Domini provolutæ ejulatibus, DEI providentiam, quasi vi facta, compellabant.

LXXXIV. Ex Babylone nimirum reversi cum viderent suas defœdatis ex itinere, amabiliores alienigenas assumebant, primis loco ancillarum relictis, teste *Lysa* super locum Malachiæ citatum.

*Polygamia ta-
xata divinitus
in N. T.*

LXXXV. Cæterum in N. T. Spiritus CHRISTI eam penitus sustulit *Matth: 19. 1. Cor: 7.* nec licet amplius exemplis patrum etiam sanctissimorum vivere, præsertim cum constet, eos humana passos esse, & cum jam à CHRISTO totius mundi reformatore sacratissimo præscriptas & claras habeamus regulas.

LXXXVI. Hactenus de primo Ethnicorum invento adversus sextum præceptum Decalogi, alterum est eorundem de repudijs.

*De REP V-
DIIS.*

LXXXVII. Hoc igitur alterum Ethnicorum inventum adversus sextum Decalogi præceptum quod attinet, ab initio probè advertendum est, quòd nullum ejusdem legatur à sanctioribus viris exemplum nobis relictum: deinde notandum, quòd juxta Salvatoris nostri declarationem *Matth: 19, 8.* Israelitis à Domino propter duritiem cordis eorum fuerit indultum, nimirum 1. ad vitanda majora mala, ne à favilissimis & zelotypis maritis penitus odio adaucto enecarentur. 2. ut discerent uxores majori cum castitate & modestia parère maritis, quæ nisi vel hac vel simili censura rigida in officio continerentur, facilius nothos supponere maritis hæredes possent, vel alijs gravibus modis displicere pergèrent iisdem, quibus solis incumbit sustentandæ familiæ onus *Æthna* ipsa gravius.

*In positia divi-
na uxores duris-
simo freno
compescebantur.*

*Causa cur repu-
dium daretur.*

LXXXVIII. Post hæc causa, ob quam repudium dari poterat, nominatur in textu *TVRPITVDO*, seu fœditas aliqua, quæ scilicet post matrimonium supervenit, & quæ fuit diversa

diversa ab adulterio manifesto, propter quod occidebatur, & à suspicionem adulterij petulanter cumulata, propter quam bibebat aquam purgationis, *nimirum post matrimonium subsequuta*, vel lepra, vel morbus caducus, vel sterilitas, vel insidiæ, vel morum levissimorum extremum detestandumque contagium, de qua causa judicabant Levitæ & Seniores publicè. LXXIX. Causam enim ejusmodi intervenire & attendi necesse fuit, idque propter versum 4. quia sæpe sublatâ illâ causâ iterum incipiebat placere dimissa.

XC. Permissio igitur erat in repudio, sed præceptum in causa repudij, ne propter quamvis causam, verbi causa, florem pulchritudinis marcescentem, conversationem non satis blandam, & similes, dimissionem instituerent austeri mariti.

XC I. Bis peccant hodierni Iudæi, qui propter quamvis sæpenuerò levissimam contentionem abortam, qui que privatim ipsi repudia decernunt & scribunt, ejectisque licentiam alijs nubendi concedunt.

XC II. Denique de repudiata præcipitur, quod marito repudianti in æternum non amplius conjungi debeat, sive per novam repudiationem, sive per mortem alicujus alterius mariti libertatem consequeretur.

XC III. Si enim post pœnitentiam primo marito restitueretur, utique ab secundo adulterata dici posset cum consensu primi, quo pacto adulteria vilescere inciperent & levitates abjiciendi & reassumendi uxorcultas, & toti territorio pœnæ divinæ accerferentur *vers: 4.*

XC IV. Quemadmodum autem hodierni Iudæi (non amplius digni jucundo Israëlitarum nomine) ut etiam Turcæ, ita olim Ethnici hoc indulto divino, per manus à patribus accepto, turpiter fuerunt abusi.

XC V. Quanta enim levitate repudiaverint uxores, apud *Plutarchum in Cic. de Cicerone* ipso legere operæ precium fuerit. Et primus Sp. Carbillius Romæ Anno V: C. 523. hæc

tentavit, teste *Gellio lib. 4. c. 33. Zuvving: vol. 3. lib. 7.* Vnde iterum emergit, ipsis gentibus visam fuisse execrabilem erga vitæ socias immanitatem tantam.

II. MEMBR.

cap. 24.

III. MEMBR.

cap. 24.

IIII MEMBR.

B. R. cap. 24.

Hodie in Turcia, Tartaria, imò ubique divites rapiuntur mercatores &c.

De duobus Principibus Saxonie furto substractis, Albin. Chron. Misn. lib. 2.

Ubiq̄ leges divinae ex una specie expressa per analogiam volunt fieri iudicium de similibus plurimis.

XCVI. Quod attinet ad Secundam *cap: 24.* partem DE IMMUNITATE Novi mariti, dictum & actum de ea fuit ex *c. Deut: 20, 7.* disput: 10: sicut de Tertia parte *cap: 24.* infra tractabitur.

XCVII. In quarta parte, ut etiam *Ex: 21, 16.* proponitur Lex necessaria adversus prædones, quos vita privare jubet, quando liberos homines Israelitas rapere & in servitutem abducere & pecuniæ corradendæ gratiâ vendere audent, nimirum 1. quia hoc pacto non tantum corporalem libertatem furto subductis adimunt. 2. verum etiam (*id quod ipsum multis alijs statutis præcavere voluit DOMINVS unice*) an- sam præbent desciscendi ad alienam religionem.

XCIIIX. Huc autem ἀναλόγως pertinere videtur furti postulatio illa apud *Gellium lib: 11. c. 18.* super quodam qui Romæ, cum fugitivus servus præter oculos Domini ambularet, obtenta toga veluti se amiciens obstiterat, nè à Domino videretur. Mens etenim istius fuit efficere, ut possessio à Domino recederet, & ne unquam Dominus servum suum recuperaret. *Quod ipsum iudicium* cum Legis divinæ sæpius inculcato sensu de facientibus, consentientibus, conniventibus, adjuvantibus, non impredientibus, non indicantibus, non punientibus, æquali pœna dignis omnibus ex æquo, planè congruit.

XCIX. Porrò hac Lege divina tanquam una specie æstimandæ veniunt similes tragicæ inhumanitates & crudelitates erga proximum, omnes durissimis pœnis vindicandæ. *His annon hodiè accensendi,* qui liberos invitis parentibus, & subditos invitis Magistratibus, in militias abducunt, *cogitandum erit:* ut etiam non parum peccant, qui votis mona-

monasticis miseros præter voluntatem parentum ex potestate parentum raptos constringunt.

C. De reliquis furtis, quando non amplius reperiuntur res ablatæ apud furem, extant Leges divinæ Ex: 22: nimirum non furca vel morte, sed redditione ex Lege taxata puniuntur, ut nimirum pro uno animali domestico restituantur quinque animalia istiusmodi domestica: *Si verò furtum adhuc apud furem reperitur, saltem duplum cogitur restituere, bovem scilicet quem erat furatus, & alium pro contumelia.*

CI. Quæ distinctio apud Romanos invertitur. Si non habet fur unde restituat, ipse venditur.

CII. Nocturnus fur perfriciens parietem, impunè potest occidi, quia animum occidendi habere præsumitur, nec satis caveri potest: diurnus non item, nisi telo sese defendat, & satis tutò repelli nequeat.

CIII. In QUINTA parte c. 24. Deut: repetuntur ex Levit. 13. & 14. & in brevissimum aphorismum contrahuntur Leges de Lepra, cum qua nostri seculi pestis non inconvenienter comparabitur, & secundam casus occurrentes dijudicabitur.

CIV. Summa comprehenditur his tribus sententijs, 1. nè temere per impatientiam aut contemptum infirmi quilibet segregentur & declinentur, sed verè à peritissimis visitati & dijudicati. 2. nè sanos contagione verè infirmorum infici patiamur 3. imprimis opera danda, ut vitentur & deponantur peccata, quia nec Mariæ sorori Moysi & Aaronis, nec Osæ bono alioquin viro propter delicta commissa pepercit Dominus, sed hanc ipsis lepræ afflictionem immisit.

CV. Porro lepra aut est in homine, aut in veste, aut in domo aliqua. Homo recluditur tam diu, donec vel sanetur, vel moriatur. Vestis ad Sacerdotem delata

*Pœna furtorum
communium in
politia sacra.*

*V. MEM-
BRUM cap. 24.*

*Habeatur discrimen etiam in
Peste, ne quos-
vis declinemus.
Similiter in Pe-
ste aut fugiendū
ijs, qui munere
Ecclesiastico &
politico aut eco-
nomico fide non
obligantur vel
agrotis per alios
satis consulunt.
Idem in peste di-
ligenter agendū
& univè.*

delata etiã recluditur, donec vel purgata abluatur, vel incurabilis, comburatur: Domus deserenda & omnibus utensilibus ad tempus evacuanda, tandem incurabilis penitus comburenda est.

CVI. Interim dum vel hæc, vel ista, vel illa cum mora & rei Oeconomicae magno dispendio, magnoque cum animi dolore fiunt (nec enim ullam maculam cælare licitum fuit) per Sacerdotem, ad quem in omni triplici casu ablegatur, de peccatis suis apertis vel clandestinis graviter admonetur afflictus, ipseque cogitandi de admissis & pœnitendi occasionem & tempus habet plusquam sufficiens.

CVII. Hodie prorsus eodem loco habemus ædium incendia, nimirum peccatorum admissorum dudum vel nuper pœnas, ut nihil de alijs calamitatibus adjiciamus. Sicut enim ibi homo cogitur, quandoque ipse suas ædes incendere, ita hodie **DEVS** per media mirabiliter id ipsum efficit, ut nimis sæpe cognoscimus.

CVIII. Caterum exemplum Mariæ propter rebellionem adversus Mosen punitæ ex *Num: 12.* additum, & admonitio hæc brevissima de Lepra, Theologos & Concionatores monet, maximè utilia præcepta populo brevius & summariè interdum inculcanda, paucisque illustribus exemplis illustranda esse, ut consulatur memoriæ: Non enim numeranda, sed ponderanda sunt pro concionibus S. Scripturæ testimonia.

Quomodo concionator debeat citare dicta scripturæ.

V I. MEMBR. cap 24.

CIX. In **SEXTA** parte *mutuum daturis* aliquid proximo suo quatuor præscribuntur regulæ. 1. *vers: 6. nè à debitoribus auferant superiorem & inferiorem molarem loco pignoris.* 2. *ne in ædes debitorum ingrediantur ipsi, sed jubeant sibi ipsos debitores proferre pignora.* 3. *ne vestem à paupere oppignoratam; & ad tegendum miser corpus necessariam vel per noctem unam secum detineant,* 4. *nè à vidua paupere vestimentum pro pignore extorqueant.*

Ratio

CX. *Ratio regula prima est*, quod cum molaris unus sine altero non proffit, non debeat creditor debitori omnē suppellectilem, unde sese alere & sustentare queat, & ipsi satis facere debeat, subtrahere, *quocumque nomine suppellex illa seu instrumentum veniat*: Ex una enim specie ad alias omnes & singulas similes hac Lex argumentari nos jubet. Alioquin mola ipsius ociabitur & ipse nova debita conflabit, cum irreperabili Oeconomix suæ damno. Impedire autem alterum in victu parando, perinde est, ac occidere eundem.

CXI. *Ratio regula secunda est duplex*: 1. quod hac cerimonia pudor propter vicinos spectatores incutiatur indigentibus, ut parciores sint in mutuo petendo. Quisquis enim leviter & temerè mutuo sumit, is difficulter & ægerrimè reddit. 2. Simul frenum injicitur Euclioni, qui ad præstanda officia mutuationis non potest perducì, nisi triplicia oppignorata videat.

CXII. *Ratio tertia & quarta regula est triplex*: 1. quod afflictio non sit addenda afflictio 2. quod qui omnino pauperes sunt, adjuvari debeant etiam tunc, cum nihil inde possumus sperare: qua de re supra. 3. quod adversus divites inclementes suspiria sua ad DEVM mittant inopes: sed preces ad DEVM pro alijs & adversus alios, proficere, ex doctrina sacra notum est.

CXIII. In SEPTIMA parte præcipitur dominis, ut mercenarijs mercedem persolvant quotidie ante Solis occasum, summamque injusticiam esse statuunt, eam ultra legitimum solutionis terminum detinere & ex avaritiæ improbitate in privatum commodum ac qualecunq; incrementum rei economicæ interim convertere.

CXIV. *Rationes Legis poterunt dari plurimæ*. 1. quia pauper alioquin frustraretur suo voto; & sine, cujus gratia hos & non alios alibi labores suscepit. 2. quia pauper non habet amicos, à quibus gratuito adjuvetur, nec fidem invenit apud

D

alios,

Trusatiles molas habebant, quibus inserviebant alijs & inde victum sibi parabant.

VII. MEMBR. cap. 24.

alios, qui interim necessaria subministrant, 3. quia destitutus præmio non habebit unde necessarium coëmat panem, ideoque viribus corporis imbecillioribus esse incipiet. 4. quia si ex curis & imbecillitatibus tandem extingueretur, non tantum homicidium, sed etiam uxori & liberis summa injuria cum irrecuperabili detrimento conjuncta inferetur.

CXV. Huc igitur pertinet illud *Syr: 34, 27, qui mercenarium suam fraudat mercede, sanguinem effundit item 35, 19. Nonne lachrymæ viduæ in genas ejus defluunt, & vociferatio ejus adversus illum est, qui eas evocavit.*

CXVI. Veteres etiam noti sunt versiculi: *Clamitat in cælum, vox sanguinis, & Sodomorum, Vox oppressorum, merces detenta laborum,* & ultima eorum particula confirmatur expresso gravissimoque verbo hujus capituli in *vers: 15. ne clamet contra te ad DOMINUM, & reputetur tibi in peccatum,* unde simul & eadem via probatur & docetur, aliorum gemitus pro nobis aut adversus nos non esse flocci faciendos.

VII. MEM.
BR. cap. 24.

CXVII. In *Septima parte duo præcipiuntur Iudicibus 1. ne fontibus impunè dimissis innocentes grassentur. 2. ne peregrinos, pupillos, viduas negligant vel contempnant in judicijs.*

CXVIII. *Ratio præceptionis est, quod æquum & justum sit, ut moriatur non nisi anima illa quæ peccavit, & quidem ut eatenus puniatur qui deliquit, ne simul lædatur insons, quandoquidem potius ferendus malus, ne simul propter eum lædatur bonus.*

CXIX. Monentur igitur omnes Magistratus, ne ex importuno & fervente zelo, ex festinatione & affectu, ante legitimam causæ cognitionem, & sufficientem inquisitionem aliquid tentent in quemquam, nec etiam mulcent parentes pro peccatis filiorum, nec admittant si quis pro alio vel carcerem vel mortem subire velit, non interficiant captivos, quamvis hoc petentes, & carceris pertaxos, antequam omnia plenè fuerint deducta. In

CXX. Inprimis igitur in judicijs humanis hæc regula obtinere debet, *ne interficiantur filij pro patribus, neque patres pro filijs &c.* Cujus exemplum extat 2. Reg: 14. in Amasia Rege Iudæ, qui secundū hæc ipsa verba ibi repetita scribitur interfecisse percussores patris sui, sed non filios percussorum simul.

CXXI. Ratio 2. præceptionis est, 1. quod Iudices exercent officium DEI, apud quem ejusdem valoris sunt incola & peregrinus, pauper & dives. 2. quod DEVS peregrinorum & viduarum causas tandem ipse vindicet, sicuti præfectos Ægyptios in mari submersit, qui Israelitas opprimebant Ex: 1, 11, 12.

CXXII. Cæterum propter judicia divina temporalia, penitentiore indiget declaratione dictum vers: 15: *Non interficientur patres pro filijs, neque filij pro patribus, quisque pro peccato suo morietur.* Sicut enim Adam Gen: 3. culpam in Evam confert, ita plerique peccata sua palliare & calamitates suorum temporum non suis peccatis, sed delictis antecessorum & majorum suorum imputare consueverunt.

CXXIII. Exemplum habemus insignius apud Ezech: c. 18, ubi filij Israel referunt, antecessores Ieroboam & Manassen peccasse, & uvam acerbam comedisse, nec punitos fuisse, ipsos autem tunc nepotes & posteros innocentes istorum pœnam luseri, dentesque stupidos experiri.

CXXIV. Cum igitur peccata sua nulla videre vel agnoscere vellent, Dominus eos refutat, & docet unum quemque tractari à DEO pro meritis suis, interdum occultis, quæ alij ignorent, interdum levibus in iudicio hominum visis, quæ coram DEO sint maxima, ideoque concludit, filium bonum non puniri propter malum parentem, nec filio malo parci propter piæ parentem.

CXXV. Nequaquam enim scelerati & degeneres filij debent sibi polliceri fœlicitatem aut impunitatem propter suos pios parentes, quia parentum probitatem & seriam

Non interficientur filij pro patribus.

Anima que peccavit, illa divinitus & non alia punitur.

pœnitentiam non imitantur: & vice versa, piij filij nequaquam metuent, ne puniantur aut pereant propter iniquitatem parentum, quorum impietatem & impœnitentiam non imitantur ipsi.

Obiect. 1. Tamen DEVS visitat iniquitatem patrum in filiis.

CXXVI. Sed cum ibidem objicerent Iudæi DEO sua verba propria ex Ex: c. 20. 5: *Visitans iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem*, ideo ab eodem de genuino eorundem verborum sensu edocentur, taliq̄ue responsione excipiuntur, omnino rectè illud sese habere, quod *DEVS visitet iniquitatem patrum in filiis, in tertijs & quartis generationibus*, nimirum **ODIO HABENTIBVS**, h. e. impiorum parentum impia facinora imitantibus nec deponentibus.

CXXVII. Simili igitur modo DEVS facit misericordiam in mille generationibus, scilicet **DILIGENTIBVS IPSVM**, & custodientibus præcepta sua: Sic Num: 26. 11. filij Core rebellis istius non mortui sunt, nimirum quia non probaverant vel adjuverant molitiones impij parentis.

In æternis penis filius pro patre non plectetur.

CXXVIII. Hæc cum ita sese habeant, multò magis in rebus ad æternam vitã pertinentibus filius pro patre & pater pro filio nihil luere cogetur, sed anima, quæ in impœnitentia discesserit, illa illa in æternum luet, ut ex hoc quoque loco *suffragia Pontificiorum* pro mortuis potius ridere, quam laboriosius refutare discamus.

Obiect. 2. Tamen in communibus calamitatibus puniuntur etiam innocentes.

CXXIX. Quod autem objicitur, in bellis, naufragijs, incendijs, pestibus, plurimos simul mori, aut damna rerum œconomicarum pati, qui absq̄ue dubio non omnes sint mali, aut certè non æquè mali; *ad illud facile & duplex datur responsum*, nimirum 1. *omnes unam mortem debere DEO*, & perinde esse siue domi, siue foris, siue in bello, siue in pace, siue in aqua, siue in horto & prædio vitam mutuo concessam repetat DEUS: Nunquam etiam & nulp̄iam ulla mors sine omni continget dolore. 2. *toties hæctenus inculcatum est*, non tantum puniri

puniri divinitus ipsos facientes, sed etiam consentientes, ad-
juvantes, conniventes, præsentes, & non contradicentes, apud
injustos diutius præstolantes, non discedentes ex via & confor-
tio malorum, non accusantes impios, non punientes ex offi-
cio, aut ad minimum non suspirantes adversus improbos ad
DEVM. Rom: 1, 32. Ex. 20, 5. Ezech: 33, 8. Sap: 18. 11.
CXXX. Ad hoc duplex responsum si contuleris, & ex-
actè examnaveris omnes casus & omnia exempla veterum &
recentium hominum, iterum sua constabit veritas dicto DO-
MINI, *Anima, qua peccaverit, ipsa morietur, nimirum quia*
peccat etiam ille qui consentit, non contradicit, non discedit &c:
quod ipsum sæ piissimè erit populo inculcandum, ut sibi ipsi
neutro modo calamitates accersat, nec DEVM in universali-
bus pœnis ullis iniusticiæ insimulare præsumat.

CXXXI. Interim, ut *donipacti* divinam in Iobo c. 2. 3. &
in alijs optimos sibi fines propositos habentem non impu-
gnamus, ita multò minus impio Calvinianæ reprobationis
decreto vel minimum largimur.

CXXXII. *Quod iterum objicitur, in diluvio, in conflagra-
tione Sodomitica viciniae, in bellis adversus Chananzos po-
pulos, post egressum ex Ægypto, ex speciali mandato divino,*
ita susceptis, ut nec parvulis parceretur, Deut: 2, 34. & 3, 6.
præter & contra communem aliorum bellorum consuetu-
dinem Deut: 20, 14. item aliquando in maximis & sævilsi-
mis pestibus, *infantulos perisse & adhuc hodie perire, utique pro-
pter parentum & adulterorum crimina, illud etiam iterum duplici
responsione diluitur.*

CXXXIII. Et sciendū. *Infantulos etiam singulos unam debere*
DOMINO mortem, & perinde esse quocumque genere mortis
ex hac vita transferantur, pro beneplacito divino, sæpius-
que cum cruciatibus diuturnioribus & grandioribus expi-
rare puerulum in lecto, & in complexu parentum, quàm qui
bellicis furoribus citò enecatur.

Objeccio 2. gra-
viss.

Respons.



Mirabiles &
quotidiana peccatorum pena.

VIII. MEM.
BR. cap. 24.
Deut.

CXXXIV. 2. Eam infantulorum mortem prematuram magis esse existimandam & vocitandam poenam parentum, qui suam impoenitentiam hoc promeruerunt, ut non tantum plestantur ipsi, sed etiam insuper cogantur esse spectatores celerioris & gravioris mortis liberorum.

CXXXV. Eadem posterior ratio jure potest accommodari ad Principes, quorum non levis est hæc pro delictis ipsorum poena, cum quotidie audiunt in oppidis suis excitata incendia, factas rapinas, caedes, incursiones &c. sicuti Davidi tragicum hoc accidebat, cum inspiceret pestem civibus immissam propter temerariam à se susceptam populi numerationem, 2. Sam: 24. sicut eidem antea 2. Sam: 12. per filij ex Bethsabea nati mortem dolor & miseria augebatur. Sic etiam unius pestis grassatione annua ereptos parentes, liberos, amicos, vicinos, multi per triginta annos vel plures cum amara recordatione & tristitia deplorare coguntur.

CXXXVI. Manet enim salva veritatis divinæ majestas in illo: *Anima, quæ peccavit, ipsa morietur, non interficientur filij pro patribus, neque patres pro filijs.*

CXXXVII. In postrema seu OCTAVA parte præcipitur olivetorum, vinearum & agrorum possessoribus, ut reliquias non satis benè conspectas inter colligendum in messe & vindemia relinquunt, in usum peregrinorum, pauperum, viduarum & pupillorum, & ita beneficentiam suam erga istos declarent.

CXXXVIII. Ratio hujus præceptionis est, quia communis beneficii divini in creata fertilitate, pro proportionem, singulos vel ideo participes facere decet, ut ex communi gaudio habeant singuli occasionem pro providentia divina & beneficii creationis laudandi DOMINI.

CXXXIX. Promittit DEVS etiam specialiter, quod talem beneficentiam recompensare velit, scilicet, nova fertilitate, deinde jubet Israelitas ideo pauperibus reliquias illas indulge-

dulgere, quod & ipsi olim in *Agypto* eas sibi concedi exoptaverint. *Aequum* autem est, ut facias alijs, quæ tibi fieri cupisti, præsertim cum tibi damna non sint magna, quæ alijs magna fiunt commoda. Hanc Legem secundum proportionem propter morale annexum, propter additam promissionem amplissimam, *suo certè modo quodam*, Christianos æmulari & imitari pium & honestum fuerit.

CXL. CAPVT *Deut: XXV.* sex inclusum particulis nunc sequitur, quarum videlicet 1. *agit* de sententijs non modo dicendis, sed etiam maturæ executioni demandandis: 2. *de mansuetudine* seu quadam gratitudine erga bruta. 3. *de suscitando* lemne fratri defuncto 4. *de abscindenda* manu mulieris, quæ inter rixas apprehendit verenda viri alieni. 5. *de justitia* in ponderibus & mensuris tenenda. 6. *de delendis* Amalekitis.

CXLI. *Primâ Lege c. 25. monetur*, i. ut tum in concipiendis sententijs, tum in dictandis pœnis observetur & ad Legem comparetur omnium circumstantiarum multitudo & varietas, siquidem impijs seu externorum scelerum adversus Legem divinam convictis & confessis quibusdam sufficere possunt verba acris & increpantia, quibusdam multa pecuniaria competit, quibusdam plaga 7. aut 30. aut 40. debentur, quibusdam mortis hæc aut illa genera sunt deputanda.

CXLII. Alterum est, ut plectendi non ex Iudicis, seu alterius, cui id muneris delegaverit, libidine & neq; ex vindictæ fervescens affectu, vel ex furiosa & rabiola invidia, ex contemptu & contumelia improperio, & Sardonio effuso risu, sed ex justitia secundum mensuram delicti, discretionisque canonem, ex correctionis studio & caritatis intermixta quadam severitate plectantur, sicut *Bias* judicia capitalia exercens simul

Argumentum
partes cap. 25.
Deut.

1. pars cap. 25.
Deut.

simul lachrymas emittebat, seque ita simul *Legi*, quæ est regula justitiæ, suum calculum, sed *humanitati* animi commiserationem dare, profitebatur.

CXLIII. Hoc justitiæ & misericordiæ temperamentum in DEO esse ipsa Scriptura ostendit, quia et in Exodi 9, 18. & seqq. prædicit grandinem Ægypto, tamen pecora custodiri jubet. & Habac. 3, 2: orat: *DEVS cum irasceris, misericordia recordare.* Vnde Nicephor: *DEVS semper gladium vindictæ oleo misericordiæ exacuit.* & Lyra Deut: 4: *Cum DEI justitia semper currit misericordia.*

CXLIV. Vitanda igitur sunt duo extrema, in infligendis pœnis, nimirum in defectu alterum, alterum in excessu.

Damnata misericordia.

CXLV. *Ad defectum* pertinet quod Odilo Abbas Cluniacensis cuidam à quo reprehendebatur, quod erga peccatores nimis esset misericors, respondit, *malo damnari de misericordia, quàm de duritie.*

CXLVI. Verum Odilonis mollities locum non habet, ubi delictum totum est liquidum. Sed tantummodo in dubiis sequendum est hoc sapientissimæ vetustatis consilium, quod *melius sit mille nocentes absolvere, quàm unum innocentem damnare*, item *Melius est reddere rationem misericordiæ quàm crudelitatis.*

Crudelitas damnata.

CXLVII. Ad excessum pertinet seu ad crudelitatem, quæ semper est execrabilis, quæque poterat multos in desperationis æternæ barathrum demergere, quod *carceribus includuntur* aliqui infra acutioribus supra amplioribus, in quibus nemo ultra 15. dies durare potuit, quia amens fieret, quod in Actis martyrum lentissimo igne quidam comburantur, ita ut ex igne educantur, & in ipsum reducantur per dies aliquot, quas severitas Lex divina consulto declinavit, quæ *fratrem* nominat miserum plectendum vel mactandum & non vult cadendum ita cadi, ut deinceps vilescat hoc est, non amplius laborare queat.

Maleficis & Mortem meritis commuere debemus commiserationem & condolentiam aliquam.

Iudæi

CXLVIII. Iudæi tempore CHRISTI hac Lege divina de 40. plagarum numero mitiores esse cupiebant, unde est quod Paulus 2. Cor: 11. refert, se quinquies sustinuisse plagas 40. una minus. Sæpe *carnifices* in torquendo vel exurendo hanc Legem divinam violare, non dubium est.

CXLIX. In secunda Lege præcipitur, ne bovi trituranti os obturetur, obveletur vel capistro constringatur. Olim n. triturando frumenta excutiebantur Es. 28, 27, 28. & ex ipsis triturationibus emolumentum nullum concedebatur defesso bovi ab avaris, sicut adhuc hodiè meritis equis avena nulla porrigitur, servisque pro vinearum hortorum & coctionis cerevisiæ laboribus fructus & potus ejusmodi nulli apud nimum tenaces offeruntur.

CL. Qui verò erga bruta sese immanes præbent, simul austeri erunt erga homines: & qui domesticis ac servis sunt iniqui, multò magis tenacissimi esse deprehendentur erga alienos.

CLI. Finis igitur hujus Legis est, à minori ad majus perducere tarditatem hominis, ut bovi operanti benè cupientes multò magis hominem operarium mercede sua dignum & ordinariè atque extraordinariè remunerandum esse statuunt.

CLII. Gravissimè enim Apostolus 1. Cor: 9, 9. testatur istam Legem non tantum bovm causa scriptam, quos vult defructibus fieri participes, sicut vinitores de uvis, hortulanos de pomis, messorum de tritico, sed imprimis propter nos, ut inde disceremus, in quolibet statu & præsertim in Ecclesiastico laborantem ministrum alimento & justa mercede non esse defraudandum.

CLIII. Eandem Legem eodem fine repetit idem Apostolus 1. Tim: 5, 17, 18. & videtur ad ipsam quoque respexisse CHRISTVS Matth: 10, Dignus est operarius alimento suo.

II. Pars Deut.

25.

Mansuetudo erga bruta & servos.

Argumentum quo leges divine de brutis tractandis doceant, quomodo cum hominibus sit agendum.

E

Prospi-

CLIV. Prospicit tamen DEVS etiam brutis animalibus & primo *singulari & universali providentia sua Ps. 147:* qui dat escam omni carni, qui dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum in vocantibus eum *Matth, 6.* Intue mini v. o. lucres cœli, quia non serunt nec metunt nec convehunt in horrea, & pater vester cœlestis alit illas. deinde hiis & similibus alijs specialibus legibus.

III. Pars
Deut. 25.

CLV. *Tertia Lex* in fine præcedentis disputationis fuit expedita.

IV. Pars Deut.
25.

CLVI. *In quarta Lege* sine misericordia jubetur amputari manus alterutra insigniter turpissimæ & impudentissimæ fœminæ, quæ utcunque ex urgente & iusta sibi visa causa inter jurgia periclitanti de vita marito succursura, protinus, nec sine probrosa publicæ obscœnitatis facinore, audeat viri apprehendere alterius verenda, maximaque ex crudelitate & fœminis indigno atrocitatis excessu, ibi infligere pœnam, ubi maximè offenditur tota viri natura.

CLVII. Quodnam exemplum severitatis in bello Sertoriano in gregarium militem similiter sed levius peccantem erga mulierem: & in totam cohortem fuerit statutum, ubi militi oculos eruerunt, totam cohortem interfecerunt, de Cn: Pompejo & de Sertorio legatur apud *Sabellio. lib. 4. enn. 6.*

CLVIII. *Nostri* discant omnes levitates levium saltationum Christianis plusquam indignas diligentius vitare, de quibus legatur *Lutherus tom: 1. lat: Witteb. in 6. præcep: Brentius in Catechismo: Ioannes Matthæus super Evangelium de nuptijs in Cana, Augusti Electoris Saxonie Ecclesiasticus articulus generalis. 18.*

V. Pars Deut. 25.

CLIX. *In quinta Lege* mandatur, ut idem pondus, eadem mensura, eadem ulna, in omnibus commutationibus civilibus emtionum & venditionum tam erga extraneos quam erga propinquos adhibeatur & usurpetur, & per consequens, ut

ut omnibus exteris & incolis, adeoque divitibus & pauperibus a quo precio merces vendantur, & non aliter cum proximo contrahatur, quam sicut cupimus nobiscum contrahi ab alijs.

CLX. *Ratio igitur hujus Legis etiam est illa noticia communis, Quicquid vultis, ut faciant vobis homines, illud vos quoque ipsis facite, deinde ut vitentur divinæ majestatis judicia.*

CLXI. Cum enim nec sæpius, nec gravius pauperes & mediocres œconomi lædantur, quàm quotidianis mensurarum in omni genere deceptionibus, *idque in hunc unicum finem, ut avaritiæ improborum satis fiat, ideò tandem sæpenu- merò una hora perdit DEVS & personas, & quicquid pro illis multo tempore cum anxia malitia & publica injuria fuit repositum.*

CLXII. DEUS ideò non concessit omnia uni loco, sed vult fieri navigationes, peregrinationes, alias multas conversationes & commutationes, ut in illis detur ansa colloquiorum, de vera religione & exercitij caritatis erga proximum, sine furo, *πλεονεξία* & fraudibus, duplici mensura, exhibendæ.

CLXIII. *Iustis & equalitatem servantibus DOMINVS magnam promittit recompensationem, quod nimirum pro longaturi sint dies suos in vita sua, scilicet quia miseri suis gemitibus orant pro ipsis apud DEVM, quin & æquitate gaudentibus alij universi & singuli benedicere solent. Et hæc suspiria & vota non sunt frustranea.*

CLXIV. *Injustis & fraudulentis gravissima comminatio pronuntiatur. v. 16. quod sint abominatio & execratio apud DEVM, hoc est, quod accusentur publicis miserorum suspirijs ipsorum nequitiae, adeò ut his commotus DEUS, tum fraudulentias illas, tum reliqua ipsorum peccata simul & semel visitet, eosque publicè confundat & exterminet.*

Sic perit in hora, quod comportatur ab annis.

Premium justiponderis.

Pœna fraudulentiponderis & mensuræ.

CLXV. Ex hoc ipso loco emanarunt alia Sacrae Scripturae testimonia *Prov. 11, 1. Libram injustam abominatur DOMINVS, pondus autem equale approbat. & 16, 11. pondus & libra iudicia DOMINI sunt, & opera eius omnes lapides lancis. item 1. Theß. 4, 6. Hec est voluntas DEI, ne quis supergredietur seu circumveniat & defraudet in negociatione fratrem suum, quia VINDEXTOR est DOMINVS de his omnibus.*

CLXVI. Sape incendiorum gravissimorum morborum, & aliarum infelicitatum causas sese nescire inquirunt homines, sed si annorum aliquot bene multorum arculas excusserint, ex his & ex alijs sufficientes deprehendent. Si quidem unquam, certe in poenis nihil frustra facit DOMINVS.

CLXVII. Ipse singulari consilio alium divitem, alium vero pauperem ordinat *Prov. 22, 2.* Vtrumque laboribus certis alligat *Iob. 5, 7.* a divite vult conducere mercenarios *Levit. 24, 4, 6, 8.* mercedem laboranti pauperi numerari sine fraude. *Deuterom. 24, 14.* praecipit etiam necessaria ad victum vendere pauperibus sine deceptione *Deuterom. 24, 14.* Si hoc pacto pauperes accipiunt subinde exercitia laborum, quia non laborantis, sed petulanter ociantis non est miserendum. *2. Theß. salon. 3, 10.* & si victu & amictu in hac vita contenti vivunt, *1. Timoth. 6, 8.* si que debiliam curam etiam habent ditiores *Deut. 15, 4.* & utriusque DEO sese mutuis precibus commendant, DEIQUE praecipitis, hac de re promulgatis, obtemperant, utique nullae erunt querelae pauperum adversus divites, divitum adversus pauperes; sed omnibus ex aequo superpetent necessaria.

CLXVIII. Hunc autem finem sibi propositum habuit DEUS, in tam multiplicibus statutis, de rebus ad vitam corporalem attinentibus, cum intermixtis promissionibus & comminationibus, si qui ijs vel obtemperarint, vel repugnarint.

*V. PARS cap.
25. Deut.*

CLXIX. In SEXTA & ultima lege proponitur exemplum

emplum ruminacione quotidiana & deprædicatione in so-
lennioribus congressibus pathetica longè maximè dignissi-
mum & plusquã illustrissimum, in quo DEVS toti toti mun-
do, & in eo singulis, singulisque hominibus tanquam in cla-
rissimo speculo demonstrat, quàm certò præsens videat &
audiat singula singula omnium omnium hominum facie-
nora, quàm acriter suæ firmissimæ & vivacissimæ memoriæ
eadem infigat, & in sua memoria sine ulla obliteratione ge-
stet & conservet, quàm certò & graviter post valdè longa
tèpora aut in hac aut in altera vita rursus illa ipsa speciatim &
nominatim refricet, dijudicet & puniat.

CLXX. Præcipit enim Israëlitis DOMINVS, ut suo tem-
pore Amalekitarum omnium posteritatem ex hoc mundo
visibili deleant, propter crudelissimum eorum factum, quan-
do per manifestam DEI potentiam ex Ægypto liberatos &
exitinere debiles Israëlitas non modò non refocillârunt, sed
etiam nihil tale sibi ab ipsis metuentes & incautos præ reli-
quis hostibus omnium primi percusserunt.

CLXXI. *Ne obliviscaris*, inquit DEUS, *sed hos à me pu-
blica vindicta per te exercenda destinatos semper & diligenter
observa*, quia horum iniquissimorum parentum delicta po-
steritas eorum omnis æmulabitur, sicque mensuram delicto-
rum implebit, & justissimo iudicio meo in totum sub cœlo
eradicabitur.

CLXXII. *Amalekita* descendentes ab Amalech, nepote Esau,
vel Edom, fratris Iacobi Patriarchæ Gen. 36, 12. & conservan-
tes memoriam præreptæ vel potius omni jure ablata primo-
genituræ Gen. 27, 36. *terrentur* quidem fama tot stupendorum
& toti orbi manifestatorum miraculorum in egressu ex Æ-
gypto, sed tamen *clade Ægyptiorum planè nihil curata, præterea*
ine accepta causa tantum ex odio inveterato adver-
sus cognatos Israëlitas, arma capiunt, præveniendumque

*Deus peccato-
rum vivacissi-
mam conservat
memoriam.*

*Pœna Ethnico-
rum, qui ex mi-
raculis Ægyptia-
cis divinis non
egerunt peniten-
tiam, imò dere-
riores fieri, vel
esse perregerunt.*

sibi esse fingunt, & hac ratione alijs vicinis malum præbent exemplum movendi seditiones, extenuandi & despiciendi patefactionem vivi & veri DEI, per horribilia miracula, & in incredulitate idolatriaque perleverandi. *Ex: 17, 13. Num: 14, 45.* ubi à Iosua armis, à Mose precibus adversus eosdem apud DEVM oppugnantur, sicque minori incipit servire major. *Gen: 25, 23.*

CLXXIII. Maxima hæc fuere peccata, 1. inveterata alere odia, 2. non satis sapere ex clade vicinorum oppressorum *Ægyptiorum*. 3. afflictis & fessis non succurrere sed addere afflictionem & vim inferre. 5. ex insidijs agere. 6. nocere malo exemplo. 7. alios ad seditionem concitare, adeoque scandalorum esse autorem.

CLXXIV. Glossa ordinaria ex Hebræis citat, quod leprosos & seminifluos aliosque extra castra habitantes hostiliter aggressi fuerint, & necaverint Amalekitæ.

CLXXV. Ut ut autem sese habuerit, DEI jussu & nomine poenam de ipsis sumere ne obliviscantur Israelitæ (*qua publica non privata vindicta censeri debet,*) gravissimè statuitur ut discamus nos, non ex propria libidine, sed ad DEI voluntatem in verbo & sacratissimis Legibus revelatam, quo ad gravitatem & modum, ultiones adversus alios suscipere.

CLXXVI. Porro postquam anno mundi 2493. primùm mandaverat Dominus Israelitis per Mosen, nè illa obliviscerentur, demum anno mundi 2881. adeoque post annos 388. eadem repetijt. 1. *Sam: 15,* 2. tempore Saulis, per Samuelem, quo ipso tempore eventus huic comminationi seu mandato divino plenissimus in plerisque correspondit, licet *Ierò, 1. Par: 4, 43.*

CLXXVII. Dilata igitur fuit Amalekitarum poena per annos 388. & demum incidit in ipsorum posteros, qui egressum quidem ex *Ægypto* non viderant, sed tamen eadem & similia delicta in eum usque diem æmulabantur, *nimirum, Saulis se-*

Ecce DEus per
388. annos differi
penam Amale-
kitis debitam.

lis seculo, ubi jam pacificè vivere incipiebant, ut passim conspici-
citur ex lib. *Iudic: 6. & 7. & 1. Sam: 4.*

CLXXIIX. Similem Dei iusticiam in vindicatis pecca-
tis habemus *Numeror. 25. 9. Deut. 4, 3.* Ibi enim, propter for-
nicationem cum Moabitibus, ex DEI iussu, 24000. in populo
DEI fuisse occisa memorantur; hic vero clarè ostenditur,
totidem fuisse, qui peccaverant, nec plures, nec pauciores.

CLXXIX. **CAPITE DEUTER: XXVI.** duo do-
centur. 1. modus offerendi primitias. 2. modus offerendi de-
cimas, quibus utrisque, ut etiam alijs pluribus, sustentationi
ministerij Ecclesiastici prospicere voluit DOMINVS,
Dum enim fidem & diligentiam erudiendis templis & Scho-
lis navat, interim alijs simul vacare laboribus quæstuosis il-
lud nequit *Syr: 38. & 39.*

CLXXX. Quinetiam summa id ipsum requirit neces-
sitas, ut ministerij dignitas vigeat floreatque, quia ipso vel su-
spenso vel sublato salus plurimorum periclitaretur, siqui-
dem juvenus & societas non in formata degeneraret, & ple-
na futura essent turbatoribus OMNIA, cum è contrario
*præstet privatas paupertate interire familias multas, quam mini-
sterium Ecclesiasticum egere & vilescere.*

CLXXXI. Hac de causa indè ab exordio mundi docenti-
bus usque ad CHRISTVM de victu prospexit DEUS
quam liberalissimè, *siquidem ab initio orbis conditi usque ad
Mosen primogenitus, qui simul erat doctor & Sacerdos fa-
miliæ in compensationem laborum, quos sustinebat, docendi
in templo, gubernandi in porta Deut: 21, 17. duas sumit par-
tes in divisione hæreditatis paternæ.*

CLXXXII. Deinde eidem in primis pro labore docendi
decimas, absque dubio annuatim ex omnibus datas fuisse,
exemplo Abrahæ convincimur *Gen: 4.* qui decimas dedit ex
omnibus

*Amalekitæ ij
puniuntur, qui
non peccaverant
in egressu ex Æ-
gypto, sed qui e-
mulabantur pec-
cata illa quæ
commissa fue-
rant a parenti-
bus ipsorum in
egressu ex Ægyp-
to.*

*Argumentum
& partes cap. 26.
Deut.*

*De stipendiis
Doctorum ab i-
niti o orbis usque
ad Christum.*

omnibus Melchisedeco Regi Salem & Sacerdoti Altissimi, cui debebantur tanquam Sacerdoti, ut inquit *Lyra super illum locum*: ut etiam Iacobi *Gen: 28.* in fine, qui promittit DEO protectori suo futuro decimas de omnibus, quæ ipsi nunc pauperrimo post hac forsitan dederit, nimirum, ut rectè exponit *Osiander*, ad conservationem piorum ministrorum verbi, quorum non pauci fuerunt in familijs Patriarcharum.

CLXXXIII. Post exitum ex *Ægypto* usque ad **CHRISTUM** loco omnium primogenitorum fuere selecti Levitæ. Et isti Levitæ non sortiebantur possessiones oppidorum & agrorum, cum reliquis tribubus, ne à studijs avocarentur; sed tamen alijs modis liberalissimè nutriebantur ex publico.

CLXXXIV. Nam in urbes 48. Levitarum dictas per totum *Israelem* distribuebantur *Num: 36.* ne una tribus nimium gravaretur, & ut singulas erudire ipsi possent, teste *Lyra super Ios: 21.*

CLXXXV. Quot fuerint Levitæ, ex *1. Paral: 23, 3.* colligetur, tunc scilicet 38000. singuli nati annos 30. nimirum 6000. prefectorum, 24000. urgentium opus Domini, 4000. cantorum, viva & instrumentali Musica exultantium, sub sacrificijs & alias **DOMINO**, 4000. janitorum seu custodum, sacratissimi templi portis invigilantium. Hi omnes & singuli, in 24. classes distributi, singulas septimanas Hierosolymis officium faciebant, postea domum in oppida sua se conferebant.

CLXXXVI. Erant autem aliqui superiores & propriè Sacerdotes ex nobiliore parte *Cahathitarum Num: 3, 10. 1. Paral: 6, 3. & 54, 61.* aliqui inferiores & propriè Levitæ *Num: 3: 3, 6. 7. 8. 1. Paral: 6, 16. & seqq.*

CLXXXVII. Ex Sacerdotibus aliqui sine dubio Superiores habitaverunt Hierosolymis *1. Paral: 9, 10. 14. Nehem: 3, 28. & 11. toto*, reliqui Sacerdotes una cum Levitis extra Hierosolymam in oppidis Levitarum *1. Paral: 6, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60. Ios: 21, 19. 1. Sam: 22.*

Urbes Levitarum.

Sacerdotes qui fuerint dicti & Levitæ.

Habitationes Sacerdotum & Levitarum.

Qui

CLXXXIX. Qui extra Solymam erant Sacerdotes & Levitæ in alijs oppidis Levitarum, ij Hierosolymam ad exedras suas tempore vicis seu muneris sui proficiscebantur. 1. Par: 9, 3. & 23. Luc. 19. 23, 29.

CLXXXIX. In magnis tribubus plures in parvis pauciores erant. Si ex hypothefi diviseris 39000. Levitas adultos per 48. oppida, tum uni ferè cedent 800. præter fœminas, præter juniores infra 20. annum, ut non immeritò urbes Levitarum scholas illustres appellare possis. Anno 50. ætatis rude donabantur, ita ut nihilominus ex publico cum suis ad finem vitæ alerentur. Num: 43, 18, 26. 23, 10. & 8, 24, 25.

CLXXXIX. Quicquid laboriosius erat peragendum in domo DOMINI, in pervigilando, custodiendo vasa, præparando sacrificia, hoc Levitæ præstabant: Aaronitæ autem hoc est, Sacerdotes suffiebant in ara incensi, sacrificabant super altari holocaustomata, orabant pro populo, docebant, & quæ circa sanctorum sancta, & reliqua similia, requirebantur, tractabant. 1. Par: 6, 48, 49. & 23. toto.

CXC. Quod ad stipendia Levitarum attinet, in suis urbibus tria habebant, 1. domos intra urbes ad habitandum, (non ad census inde percipiendos, sicut Hebron erat civitas Levitica, cujus tamen Dominus erat Caleb, Jos: 15. & 20.) 2. domos extra urbes pro frumento, seu pro decimis reponendis, & pro pecoribus nutriendis, ut inde mundis & immundis sacrificijs discernendis maturè assvescerent, & nè prorsus otiosa esset ipsorum familia: 3. agros proximos muro civitatis in circuitu pro pascuis pecorum suorum, de quibus lege Num: 35.

CXCI. Deinde accipiebant Levitæ decimas ex omnibus fructibus agrorum, vinearum, olivetorum, hortorum & similia, ut etiam pecorum Levit: 27, 30. Num: 18, 26. sed duplici addita conditione, 1. præmissa decisione primitiarum & primogenitorum, quæ DEO peculiariter & ejus loco Sacerdotibus Aaronitis 1. Par: 6, 3. & seqq: debebantur, de quibus di-

Multitudo sacerdotum & Levitarum.

Labores Levitarum & sacerdotum.

Stipendia Levitarum.

I.

II.

F Iput:

simi,
m lo-
pro:
pau-
ponit
verbi,

HRI:
Levi-
orum
ntur;
lico.
er to-
imi-
Lyr

colli-
rum
000.
bla-
sto-
es &
oso-
ua le

ppriè
Par:
6.7.

upe-
8. &
oly-
Ios:
Qui

spu: 8. Num: 5, 9, 10. & 18. 5, 11. &c. Deut: 19, 19, 2. ut ex omnibus suis decimis decimas persolverent, superioribus Sacerdotibus. Num: 18, 26, 27, 28. Si quis tamen incolarum decimas suas redimere vellet, addebat partem quintam ex constitutione Legis, Levit: 26, 30, 31.

Pinguitra erant stipendia Sacerdotibus, quam Levitis destinata.

CXCII. Sacerdotibus enim Aaronitis plurima prae Levitis destinaverat DOMINVS, ut panes Exod. 9, 30. Levit: 24, 8, 9. Carnes sacrificiorum Levit: 7, 31. & 8, 31. Num: 5, 8, 9, 10, & 10, 12. idque sine dubio etiam ante Mosen fuit factum, primogenita hominum & animalium sive ipsa sive redemptiones pro ipsis, ut etiam spontanea vota & anathemata Levit: 27. usque ad 30. Num: 3, 46. Deut: 5, 2. 17. 18. & 15, 19, 20. ita tamen ut ex pulis primogenitorum Hierosolymis oblatorum etiam Levitis portio quaedam cederet. Deut: 12, 17, 18. In primis Num: 18. toto usque ad 25. item restitutiones profurtis Num: 5, 8.

III.

CXCIII. Denique varia convivia Hierosolymis & domi instituebantur, ad quae in primis Levitae jubentur invitari Deut: 12, 17, 18. & 15, 19, 20.

Oblatio primitiarum. Decimarum solutio.

CXCIV. Porro primitias colonus ipse (se se presentaturus DOMINO) deferrebat in cartallo seu corbe Hierosolymam quotannis, decimas quotannis domi vicinis persolvebat Levitis: tertio quovis anno novam decimam colligebat secundum Lyram, pro usu pauperum, quos non ostiatim volebat DOMINVS in sua politia mendicare, verum liberalitate piorum quotannis recreari.

Cur Labani mentio in oblatione primitiarum fieret sicut Pilati in symbo-

CXCV. Oblatio primitiarum fiebat 1. cum solenni confessione repetente coram Sacerdote memoriam defensionis Iacobi adversus Syrum Labanum impium, & gratuita miraculosaque introductionis in terram promissam. DEVS enim vult beneficia sua 1. crederi narrari, 2. cum apparato convivio pro Levitis, pauperibus &c: de quo c. 12. plura.

CXCVI. Tertio anno coram DEO in templo ad maiorem reverentiam 1. solennis fiebat professio, quod non hypocritice

pocriticè vel indignanter, sed corde hilari & libenter, adeoq; integrè & non fraudulenter hoc triennio decimas obtulerit, nec ex ijs quicquam in alienos usus converterit offerens, 2. addebatur petitio, ut deinceps quoque terræ ipsius benediceret **DOMINVS**.

CXCVII. *Et hæc non tam sunt ceremonialia quàm moralia, ut in quovis genere negotiorum misericordiæ divinæ omnem prosperitatem acceptam referas, & provirili & sincerè ad conservationem ministerij & pauperum in honorem DEI* *επιβαλλων μέγας* conseras, certeque credas, **DEVM** in hac beneficentia operibus tuis benedicturum.

CXCIX. Cæterum hæc omnia pertinentia ad sustentationem sacerdotum & Levitarum ita durarunt usque ad destructionem Hierusalem potissimum. *Nota autem est postea paupertas CHRISTI in N.T. Matth: 7, 27. Luc: 9, 58. & 22, 35.* qui nihil habebat, nisi quod piæ mulieres, ipsum secutæ suggerebant. *Luc: 8, 2, 9. cujus Oeconomum constituerat Iudam, Ioan: 12, 5.*

CXCIX. Post **CHRISTI** ascensionem eadem aliquandiu servata fuit ratio, *Act: 2, 44, 45. & 4, 32. & 5, 1. & seqq:* mox autem *Act: 6.* ex crescente numero & liberalitate credentium ararium constitui cepit, *postea collectiones publicæ fiebant diebus Dominicis Act: 11, 29, 30. Rom: 15, 26. & c. 1. Cor: 16, 1. & c. 2. Cor: 8, 14. & 9, 1. Gal: 2, 10. Philip: 4, 14. & seqq:* vel hebdomadariæ, vel menstruæ vel semestres: donec tandem prædiadonata possidere solita fuit Ecclesia teste *Funcio lib: 6. Chron: circa annum CHRISTI 226.* quæ in persecutionibus adempta restituit & locupletavit Constantinus, *Euseb: lib: 2. de vita c. 21, 6, 9. Sozom: 18. L. privileg. C. de Sacros. Eccles:*

CC. Quam grave autem sit peccatum Ecclesiasticis bonis abuti, exemplo *Acham Ios: 7. & filiorum Eli. 1. Sam: 2. Sacerdotum Os. 4, 8, 9. Ethnicorum Ioel: 3, 4, 5. & Israelitarum Nehem: 13, 10. Hagg: 1, 6. & c. Malach: 7, 8.* constat.

CHRI-

*Judas ein Ra-
steherr.*

*De bonis ecclesi-
asticis novi tes-
tamenti.*

Etiam pauper-
rimi coacti sunt
conferre pro sa-
cerdotibus &
Leuiticis, nullo
nullo ex cepto,
Leuit. 1. 14. &
3. 6. & 14. 3.

CCI. CHRISTVS in N. T. generalem regulam pro fi-
sco Ecclesiastico erigendo suppeditavit *Matth : 22: Date*
DEO, quæ sunt DEI, qua in parte nunquam vel pauperrimis
parcere voluit, *Exod: 30, 15. Levit: 12; 8. Luc. 2, 2. & seqq: DEVS.*

CCII. De ficta Constantini Magni donatione, qua Papa
Italiam & alias terras Ecclesiæ Romanæ donatas esse menti-
tur *distinct: 96. c. 14,* non opus est prolixè disputare, siquidem
regna, quorum usum sibi concessum ab Imperatore fingit, fi-
lijs suis ipse Imperator distribuit, apud *Euseb: lib : 4. de vita*
Constantini non longè à fine: eadem quoque occupavit filius
us junior Constantinus cum fratre nato minore Constante.

CCIII. Immò Frisingensis Continuator refert, quod
circa annum Salvatoris 1160. nondum in plena potestate Ro-
mam urbem Papa habuerit, quia tunc Fridericus II. cunctis
Italiæ civitatibus ipse novas Leges injunxit, & obedientes
subditos in urbe Roma habuit.

FINIS,
&
Laus DEO.



94 A 7382

ULB Halle 3
002 183 692





56.

VD 17

21.7.99 Bd.







ΣΤΝ ΘΕΩ
Ex
DEUTERONOMIO
Disputatio XII.
DE RELIQUIS LEGI-
BUS DIVINIS

Ex 23. 24. 25. & 26. capp. Deut.

Ad cuius Themata

In Illustri Academia Vitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sito itidem templi arcis

Respondebit

JOANNES JEGERUS Tyri-
geta.

Die 13. Maji in templo arcis Electoralis horis pomerid:



WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
M. DC. VIII.

